

*potionemque nullam nisi alterius actam labris vir et uxor hauriebant.* Quales etiam illi conjuges, qui nunquam prodibant in publicum, nisi funiculo arcte inter se constricti, velut duo boves ad jugum colligati, apud Cael. Rhodiginum, l. c. XXIV. Et ille, qui semper vel manu vel ore uxorem attingebat, apud Cic. l. I. offic. Et ille, qui audita uxoris morte pectus suam gladio percussit, vulnus divulsit, et spiritum hausit, apud Val. Max. l. IV. c. VI. Cæcus est hic amor, rationis lumine destitutus, non Aglaia claritate præditus, proinde explodendus ab honestis nuptiis.

Deinde hac ratione, ut non obscuretur tenebroso intentionis oculo, de quo Dominus, Luc. XI. *Si oculus tuus nequam (seu tenebræ) fuerit, etiam corpus tuum tenebrosus erit.* Tenebrosus erit oculus, si respiciat solummodo ad conjugis pulchritudinem, divitias, nobilitatem, affabilitatem, familiam, etc. Hi respectus quasi pulvisculi et arenulæ sunt, qui si in oculum intentionis incidunt, plane eum obscurant ac confundunt, ut perturbati conjuges a fine recto devient et in miserias incidant, præsertim cum deflorescit species, cum opes dissipantur, cum deserit familia, etc. Hinc Cleobulus unus ex septem sapient. Græcis dixit : *Si uxorem ex superiore familia duxeris, non affines tibi, sed dominos comparabis,* apud Stob. serm. III. de temp. Idem experietur, qui opibus longe superiorem duxerit, dominam habebit, non conjugem. Quam ob rem Lacones voluerunt, ut virgines sine dote nuptum irent, ne propter opes ductæ maritis insultarent : et ut mores potius quam divitiæ in puellis quærerentur, apud Laert. l. I. c. IV. Optime S. Ambr. l. I. de Abrah. c. II. *Qui, inquit, suavitatem quærit conjugii, non ambiat monilibus ornatum, sed moribus.*

II. Adsit Euphrosyne seu hilaritas : atque imprimis ea lege, ut tristitiam et morositatem, quæ fere nascitur ex zeiotypia, peste conjugii, pellat. De hac loquens S. Chrys. hom. XXXVIII. in Gen. ait : « Unius rei cura sit viris, ut tristitiæ causa e medio tollatur, crescatque ac roboretur pax domestica; ut et illa erga virum suum habeat conversionem, et vir ab externis et forensibus negotiis et turbationibus ad eam quasi ad portum confugiat, et omnigenam inveniat consolationem. In adiutorium enim data est, ut contentus ejus consolatione, quæ occurrunt, aggredi queat alacriter. » Denique ut ait Sanctus Ambros. in l. ad Cor. c. VII. *Magna amaritudo est in domo, uxor tristis.* Quid igitur? Tollenda est hæc tristitia et amaritudo. *Euphrosyne* sit uxor et maritum exhilaret, cum dejectus animo est;

quo modo uxor illius Manue, viro ex angeli visione consternato et mortem metuenti, blanda oratione metum exemit, dicens : *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia,* Jud. XIII. Ita præstitit, quod Salom. Prov. XIX. ait : *A Domino aptatur (Græce modulatur) uxor viro.* Cum ergo virum vel iracundum vel dejectum animo videt, moduletur ei suavi sermone quasi cantilena. Denique ea lege, ut alter pro altero se exponere ad quævis pericula paratus sit, adeoque sua morte ipsius vitam redimere. Qua de re ad virum ita loquitur Salomon, Prov. XV. *Sit tibi uxor tua sicut cervæ charissima, et hinnulus gratissimus.* Qua ratione? Cervi pro cervabus suis conjugibus certant acerrime, ita Seneca : *Si conjugio timere suo, poscant timidi prælia cervi,* inquit. Si hoc cervi, bruta et timida alioquin animantia, non magis ament viri uxores suas? Et cur non Christiani, si idem præstiterunt olim gentiles? De his enim ita scribit Abul. in cap. XVIII. Judic. « Consuetudo erat antiquorum, quando pugnaturi erant, ducere secum uxorem ac filios, et quidquid melius possidebant, ut incitati amore istorum pugnarent acriter, et non putarent propter quemvis sinistram casum fugiendum esse : quia nihil boni supererat, ad quod fugere possent, relictis in bello chara uxore et dulcibus filiis. » Ita Jacob cum uxoris suis processit obviam infenso sibi fratri, et progressus ante illas prior occurrit fratri suo, metuens, non sibi, sed uxoris et filiis, Gen. XXXII. et XXXIII.

III. Adsit et Thalia, hoc est viriditas, atque imprimis, ne quid mortiferum seu aridum amor hic contingat, quo fieret, si ad peccatum se extenderet, quomodo Eva ad pomum vetitum manum suam extendit, deditque id viro suo, pernicioso prorsus et mortifero amore, quo se et virum perdidit. Quare cum Ecclesiasticus dicit, c. XXV. placere Deo virum et mulierem mutuo sibi consentientes : *Intelligo amorem et concordiam hic probari quæ in bino est, alioquin si frater, proximus, conjux ad malum provocet, odiendus est,* inquit ibi Palacios. Pari infortunio et infelici exitu consensere Ananias et Sapphira, Actor. V. in defraudando agri pretio, dum mendacium viri confirmavit mulier, ac proinde in pœnam ambo repentina morte extincti, eodemque sepulcro conditi sunt. Magis adhuc funesto supplicio interierunt anno hujus sæculi XVIII. Pultovii in Polonia, conjuges duo cauponarii, qui filium sibi incognitum, sed bene nummatum mutua conspiratione in lecto jugularunt, ut pecuniam ejus raperent. Postea comperti, quod filium suum

necassent, mater eodem cultro, quo filium peremerat, seipsam confecit, pater in patibulo seipsum suspendit, actore P. Antonio Balinghen, in zoopæd. sub titulo hospitalitas. Propterea Deut. XIII. præceptum legimus : *Si tibi voluerint persuadere frater tuus, filius matris tuæ, vel filia sive uxor quæ est in sinu tuo (d. q. dilectissima etiam) aut amicus quem diligis ut animam tuam, dicens : Eamus et serviamus diis alienis (v. g. avaritiæ, quæ est idolorum servitus, aut alteri sceleri) ne acquiescas eis, nec audias, nec pareat oculus tuus et miserearis et occultas eum : sit primum manus tua super eum.* Hoc est oculus eruere, et manum abscindere, quod mandavit Christus, Matth. XVIII. ne cum toto corpore mittaris in gehennam.

Deinde detur opera ut amor hic semper vivat et nunquam senescat. Dixit quidem (Theodectes) : *Similes esse, senectutem et nuptias. Utramque enim consequi desideramus : postquam vero nacti fuimus, tristamur.* Ita nimirum cito defervescit amor conjugalis, quando in hoc statu non quæritur Dei gloria, sed fluxa alia bona. His enim vel cadentibus vel vilescentibus cadit etiam amor, et vilescit conjux. Sunt qui tradunt tres illas Charites, nuptiarum præsides, tria tempora designare, quibus perseverare debeat amor conjugalis, præteritum, præsens, et futurum; ita ut nunquam dissolvatur. Multi tamen sunt, qui non omnes simul ad nuptias adducunt. Aliqui enim præmittunt amorem nuptiis, quia nubent, ut aiunt per amorem; sed vix dum nuptiæ copulatae sunt, cum amor interpescit : his una dumtaxat ex Charitibus præfuit. Alii non solum nuptias ex amore susceperunt, sed etiam post nuptias alii quamdiu in iisdem amor viguit. Postea tamen decursu temporis refluxit. His duæ Charites interfuerunt. Illis ergo trium Charitum in unum conspirantium favor adfuit, quorum amor et conjugalis gratia ante nuptias, in nuptiis, et deinceps totius vitæ tempore constans fuit. Hæc autem felicitas illius dumtaxat est, qui talem uxorem nactus est, de qua Eccl. XXVI. dicitur : *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata : cui tamen vir non sit absimilis.* Hujusmodi sane mulier fuit, Catharina Angliæ regina, Henrici regis octavi, conjux, quæ licet contra omne jus et fas a rege perfido repudiata et procul ablegata, suum tamen erga maritum amorem nunquam abjecit, sed in viridi flore conservans, paulo ante obitum suum hæc ad illum scripsit : « Adventante jam mortis meæ hora amor, quo te prosequor, facit, ut admoneam te paucis æternæ salutis animæ tuæ, quam universis hujus mundi bonis ac rebus mortalibus anteferre debes, neglecta etiam tui corporis cura, propter

quam et me in calamitates multas, et teipsum in plures sollicitudines coniecisti, sed ego tibi ex animo condono, precorque ut eadem condonet tibi Deus. Postremo hoc unum testor, quod oculi mei te solum præ rebus omnibus mortalibus desiderant. Vale. » Refert. Flor. Ræm. de orig. hæc. l. VI. c. III. Non ita egit mulier illa ingrata viro suo, de qua B. Petrus Damiani, ep. XV. ad Alexandr. ep. l. I. epist. scribit : « Novi plane virum, dum illatam uxori ulcisci conaretur injuriam, gladiis interemptum : quæ tamen ad secundas migrasse dicitur, antequam anni circulus compleretur. »

Quare o christiani conjuges, ut felices sortiamini nuptias, omnem adhibete operam, ut has quas dixi Charites, omnes ad singulas eas invitetis, etc.

## CONCIO XX.

NUPTIÆ MORTI SIMILES, EX GENTILIUM ET JUDEORUM SENSU.

Mirum est, quod ex Indiis orientalibus scripsit P. Hieronymus Xavier societatis nostræ in litteris annuis impressis, anno 1548. de regno Mogor, consuetudinem illic esse, ut novi conjuges instante nuptiarum die, prius sepulera obeant, reserent, seduloque contemplantur; sive ut finem vitæ suæ expendant, antequam liberis vitæ initium dent: seu potius ut jam conjugii soli victuri, mori cæteris hominibus et sibimet ipsis discant. Idem etiam apud Romanos gentiles insinuatum fuit nuptiis dum earum comam hasta, quæ in corpore occisi stetisset, discriminabant, Sexto Pomp. teste apud auct. antiq. Rom. l. V. c. XXXV. ut nuptias scilicet inchoarent memoria mortis, cujus hasta rursus separanda sint. Denique Hebræi quoque nuptias suas cum morte compararunt. Propterea enim quot diebus celebrare solebant exequias, totidem celebrabant et nuptias. *Luctus mortui septem dies,* inquit Ecclesiast. cap. XXII. et totidem diebus plangebatur mors patriarchæ Jacob, Gen. L. Septem etiam diebus peragebantur nuptiæ, teste S. August. lib. I. quæ in Gen. cap. LXXXIX. uti nuptiæ Samsonis, Judic. XIV. Eecur vero, nisi quia nuptiæ exequiis non absimiles sunt? Etenim si quod agunt novi conjuges, bene expendant, sane dum ad nuptias eunt, quasi ad sepulcrum eunt. Durus est hic sermo, mihi dicetis; sed etsi insuavis est, non est tamen inutilis, imo vero scitu perquam necessarius, uti monuit Ecclesiastes, cap. VII. dicens : *Melius est ire ad domum luctus,*

quam ad domum convivii. In illa enim finis cuncto-  
rum admonetur hominum et vivens cogitat quid fu-  
turum sit. Id quod nunc exponemus.

Moribundus homo valedicit, adeoque moritur  
omnibus suis facultatibus, omnibus amicis de-  
nique toti mundo, et soli Deo vivit: ita qui ma-  
trimonii statum init, soli conjugii suo vivit, sibi  
et parentibus, mundoque toti. suo modo ulti-  
mum Vale dicit, vel certe dicere tenetur. Intel-  
lexit hoc S. Elisabetha, regia filia, quæ mortuo  
in bello sacro, marito Ludovico principe Thu-  
ringiæ, dixit: *Jam mihi cum meo conjugio totus  
mundus mortuus est.* Quasi dicat: Illi soli hactenus  
vixi, jam mihi cum illo totus mundus mor-  
tuus est.

I. Itaque mori debet suis parentibus, derelin-  
quendo eos. Ita enim percipitur Gen. II. *Quam  
ob rem relinquet homo patrem et matrem, et adhæ-  
rebit uxori suæ.* Hinc mos patriæ est, ut sponsa  
cum e paterna domo educitur ad sponsum,  
prius valedicat parentibus: quod non fit absque  
lacrymis. Insinuat id est Deut. XXI. ubi præ-  
cipitur femine gentili, si admittenda sit ad nup-  
tias viri Israelitæ, ut sedens in domo suo fleat  
patrem et matrem suam uno mense, tamquam  
jam extinctos, licet essent adhuc superstites;  
quia omnis carnalis cognationis affectus debe-  
bat penitus ab ea sepeliri, ut exponit Procopius.  
Si interroges qua in re parentes relinquendi sint  
a sponso et sponsa, respond. primo, quoad ha-  
bitationem et vitæ consortium, ita ut jam non  
amplius paternæ, sed suæ adhæreant, atten-  
dantque domui et familiæ eamque solam con-  
servare et augere studeant. Quidquid enim ac-  
quirunt, sua industria et labore, sibi mutuo ac-  
quirunt non parentibus. Quare si quis operam  
operæque lucrum conjugii subtraheret et paren-  
tibus conferret, injuriam conjugii faceret. Deinde,  
quoad amorem, quem magis debet conjugii,  
ideoque ipsi potius adhærere tenetur, quam pa-  
rentibus. Qua in re deliquit levitæ illius uxor,  
Judic. XIX. quæ deserto marito, (quia ut scribit  
Josephus, ipsum non adamavit, tametsi ab eo  
valde amaretur) ad paternam domum recurrit.  
Quam ob causam, uti fas est credere cum redu-  
ceretur a marito ad ejus domum, pœnas deser-  
tionis in via dedit, constuprata a Gabaonitis usque  
ad mortem, ut quæ a legitimo viri thoro profu-  
git, a vitioso pessimorum hominum thoro plane  
opprimeretur. Præterea quod curam et subsidia  
paterna, quæ non amplius a parentibus, sed a  
conjugio et proprio labore expectare debent.  
Prius in paternis ædibus sine omni cura de re-  
bus ad vitam necessariis debebant, nunc velut  
adulti jam et plumati pulli, e nido expulsi sibi

ipsis victum quærant necesse est. Prius in pa-  
rentum brachiis suaviter et secure natitabant,  
nunc sibi derelicti propria ad natandum bra-  
chia extendant. Prius cum quid doleret vel de-  
esset ad vitæ necessitatem, ad parentes recurre-  
bant; nunc eis janua illa præclusa est: ad con-  
jugem recurrendum est, si qua re opus habent,  
quodque magis durum est, id accipiendum quod  
datur, non quod optatur. Ita enim præcepit  
Evæ Deus, Gen. III. in Hebr. *Ad virum recursus  
tuus erit.* Ubi Latine legitur: *Sub viri potestate  
eris,* quasi dicat: Quidquid desiderabis, necesse  
est ut ad virum recurras, ut illud impetres et  
pericias. Denique si parentes quidpiam impe-  
rarent, et conjux vetaret, vel contrarium præci-  
peret, huic potius quam illis obediendum erit,  
quantumvis durum et amarum fuerit id impe-  
rium. Unicum casum exceipit D. Thomas, II. II.  
quæst. XXVI. art. XI. ad I. quando conjux et  
parentes in pari casu famis vel alterius necessi-  
tatis forent, tunc enim parentibus velut vitæ  
auctoribus potiusquam conjugii succurrendum  
censet. Hoc igitur est mori parentibus.

II. Moriendum etiam mundo est; sed qua ra-  
tione? Primo, in oculis, ne conjiciant eos in  
alium seu virum seu feminam, præterquam in  
conjugem. Ejusmodi enim aspectus sæpe totum  
bonum matrimonii evertit, et in præcipitia im-  
pellit. Impulit certe Davidem, postquam is a  
conjugio obtutum avertit, et in alienam uxorem  
deflexit. Inde enim bonus alioquin rex in adul-  
terium, ex hoc in homicidium, inde vero in per-  
turbationes magnas incidit, plagasque varias  
incurrit, II. Reg. XI. Philippus et ipse laudabilis  
Hispanorum rex unum aliquando oculum de-  
fixit in puellæ crines, flavedine rutilantes: quem  
observavit conjux, indeque in suspicionem  
tracta, regiam pene totam clamoribus implevit,  
puellam attondit, regem ipsum velut captivum  
semper suo stipavit latere, varie denique affixit,  
apud Rod. Sanct. de rebus gestis fr. Ximenii,  
lib. III. Pellex illa Henrici VIII. Anglorum regis,  
pro conjugio inducta et regi desponsata, uno se  
intuitu, quem in teatro ad ludicra spectacula  
sedens, inspectante rege, projecerat una cum su-  
dario ad quemdam nobilem, vitam ei adimit.  
Mox enim a teatro in captivitatem ducta, et non  
multo post carnifici tradita caput suum perdi-  
dit, Florim. Ræmun. de orig. hæc. lib. cap. IV.  
Igitur, mi conjux, moriendum mundo est, re-  
nuntiandum oculis lubricis, ne vagari incipiant.  
Solutus aspiciendus conjux, ac cum sponsa di-  
cendum: *Dilectus meus mihi,* nimirum placet,  
cæteri omnes displicent. *Et ego illi,* soli nimi-  
rum placeo, Cant. II. De quo S. Bern. serm.

LXVIII. in Cant. *Ille mihi, et non alteri, quoniam  
una sum columba ejus, ego illi et non alteri.* Se-  
cundo, in vetitu, ne jam ornatum quærat aut  
adhibeat, qualem sibi applicuerat, cum adhuc  
cælebs esset. Cum enim soli conjugii placendum  
sit, ad quid mundo se adornat? Quæ vinum  
suum jam vendidit, cur hederam foris suspen-  
dit? Cur officinam aperit et ostentat, si non ha-  
bet jam quod vendat? Exemplo sint: « Arabiæ  
femine, quæ non caput modo, sed faciem quo-  
que ita tegunt, ut uno oculo librato contentæ  
sint dimidiam potius frui lucem, quam totam  
faciem prostituere, » inquit Tertullianus, lib. de  
veland. viro. Plutarchus, in præceptis connubii  
lib. uxorem, quæ domi in vestibulo sordet, in  
foro autem nitet, comparat lunæ, cum procul a  
sole abest. *Lunam,* inquit, *cum abest a sole, luci-  
dam claramque videmus, admota soli obscuratur et  
occultatur.* Suspectam se talis uxor reddit de  
amore alieno, testante S. Chrysostomo, homil.  
XXVII. ad pop. « Ille exquisitior ornatus, inquit,  
zelotypiæ suspicionem injicere sæpius solet. »  
Et infra: « Modestia autem ornatus omnem qui-  
dem improbam suspicionem expellit: omni au-  
tem vinculo firmiter conjugem conciliat, etc. »  
Tertio ingressu, ut ne foris mulier multum va-  
getur, aut in alienis ædibus sese detineat. Prop-  
terea enim Eva intra paradysum, Adam extra  
illum creatus est, ut illa sciat domi sibi manen-  
dum et domesticæ curanda, hic autem forensia  
sibi demandata esse. Propterea uxor, Psalm.  
CXXVII. viti, non quæ in vinea direptioni expo-  
sita est, sed domesticæ comparatur, qui domui  
adhæret, et quidem a latere, non in fronte do-  
mus, ne facile videri et violari possit: *Uxor tua  
sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Hic  
ejus carcer, hoc sepulchrum est, domus, inquam  
viri; et quidem recessu, non patens omnibus.  
Nihil amabilius vita, sed nisi bene custodita sit,  
avibus, feris, prædonibus eripienda traditur.  
Par ratio de muliere. Unde comicus ille Alexis  
scripsit: *Non est aræ, neque possessio difficilis ulla  
quæ tam difficulter asservetur quam femina.*

III. Denique conjuges necesse habent, ut mo-  
riantur sibimetipsis, et propriæ voluntati; atque  
imprimis mulier, quæ ex mariti dependet impe-  
rio, dum ex natura rei, velut infirmior sexus,  
tum in pœnam prævaricationis, qua seduxit vi-  
rum. Quibus vero potissimum in rebus? Primo,  
in linguam, ne viro contradicat aut obloquatur.  
Quid enim ex tali contradictione sequi aliud po-  
test, nisi quod in structura turris Babel ortum  
est, dissidium scilicet inter ipsos: ut dum mari-  
tus petit cale-  
ille vult ovum, hæc porrigit scorpionem, pro

II. PARS HIEMALIS.

pane lapidem, pro pisce serpentem, aliud  
non sequatur, nisi separatio, dissidium, ac de-  
nique divortium? Sed nec cum externis multum  
uxori sermocinandum est, nisi adsit maritus.  
Scimus enim Evam, dum se præsentem laudaretur  
ab Adamo, nihil plane locutam esse, at eo  
absente colloquium plane frivolum instituisse  
cum serpente, ibique in nassam incidisse; plane  
ut solent aliquæ filie Evæ, quæ domi coram  
maritis silent, foris linguæ velum dant, cum in  
procos et serpentinis linguas incidunt, ideoque  
laqueis diaboli facile implicantur. Moriantur igitur  
linguæ, et solis maritis suis linguam reser-  
vent; quod ab Eva factum oportuit ut notavit  
S. Chrysostomus, hom. XVI. in Genes. « Oportebat  
enim, inquit, initio colloquium ejus non  
ferre, sed illi soli loqui, propter quem et in cu-  
jus adjutorium producta erat, particeps digni-  
tatis illius facta. » Sapientia hac Eva fuit illa se-  
cunda, Virgo Maria, quam cum non serpens,  
sed angelus allocutus esset, turbata est in ser-  
mone, et timuit respondere absente suo sponso,  
uti sentit Antipater, orat. de Joan. nat. introdu-  
cens eam sic loquentem: *Non adest Joseph, voci  
non assentio. Cum sola prima parente locutus est  
ille, qui fuit primus auctor malorum.* Prudenter  
etiam illa Lacæna, apud Plutarchum in Macæ-  
narum apophtheg. quæ ab altero invitata viro,  
respondit: « Cum essem puella, parenti obedire  
didici, idque feci: mulier autem facta, viro. Ita-  
que si me invitat ad honesta, viro meo primum  
rem aperiam. » Secundo, in manibus, nihil ali-  
cujus momenti dando aut incipiendo absque  
viri consensu. Periculosa et suspecta sunt mu-  
nuscula mulieribus oblata. Idcirco Christus Sa-  
maritanæ petitam vitæ aquam noluit conferre  
nisi præsentem viro. *Vade, voca virum tuum,* in-  
quit Joan. IV. *quasi non satis honestum videretur  
nuptæ mulieri quidquam donari in scio marito,* in-  
quit ibi Maldonatus. Nec minus suspecta sunt,  
quæ viri aliis feminis, et uxores aliis viris, præ-  
terquam suis, offerunt munuscula, Notum esse  
arbitror quantum nocuerit Eudoxiæ imperatrici,  
Theodosii junioris conjugii, quod miræ magni-  
tudinis pomum a marito sibi dono datum, do-  
naverit cubiculario cuidam præcipuo. In odium  
enim Theodosii incidit, et a thoro ejus exclusa  
est, ubi id imperator rescivit ex illo ipso pomo,  
ab incauto cubiculario sibi sursum oblato, apud  
Raderum in aula sancta. Tertio, in moribus, ut  
viro sese accommodet, ejusque voluntati suam  
pro viribus conformet; juxta id apostoli I. Cor.  
VII. *Quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quo-  
modo placet viro.* Quod suo etiam modo dicit de  
marito. Quemadmodum enim illi, qui ministrant

elephantibus, non induunt lucidam vestem; qui taunis, non purpuream, quia his coloribus effrœnantur: ita etiam uxor ab iis abstinere debet, quibus seipsum vehementer offendi, uti monet Plutarchus. Potius se attemperet ejus sensui et appetitui, quemadmodum Rebecca paravit viro epulum, quo delectari eum noverat, Genes. XXVII. Sic enim fiet, ut quemadmodum illa per escam viro gratam impetravit benedictionem filio: ita et uxor quæque benevolam sibi virum reddat, et ad nutum devinciat. Recte enim Publius Mimus dixit: *Casta ad virum matrona parendo imperat.* Quia talem matronam vir revereatur: ex qua reverentia prodit amore et inclinatio ad faciendam adamatæ voluntatem. Denique si vir caput est mulieris, ut ait apostolus, hic necessario sequitur, quod uxor non tam suis, quam virum sensibus uti, omniaque peragere debeat. Unde enim visum, auditum, loquelam, nisi a capite desumet? Et si caput ejus vir est, nonne a viro? Quare ut ait Plutarchus, sicut tibi per aliquam vocem, tibi scilicet sonum et cantum edit: ita uxor quoque non nisi per virum ejusque jussum ac voluntatem loquendum, audiendum et videndum sibi existimet. Denique quod prædixit Christus Petro: *Cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, alius te cinget, et ducet quo tu non vis,* Joan. XXI. suo modo dictum arbitretur.

Sic fiet, ut cum gaudio hunc statum amplectantur novi conjuges; si moriantur ante mortem, ne habeant, quod timeant, imminem sibi mortem.

### CONCIO XXI.

CICONIÆ DUCES ET DOCTORES CONJUGUM. Ex Ps. CIII.

Notissime nobis aves et gratissimæ sunt ciconiæ, tum quia veris nuntiæ, tum quia venenatorum animalculorum exterminatrices, ut alias causas taceam, propter quas in honore semper habitæ sunt, et habentur etiamnum, ita ut occidere eas piaculare existimetur, et Ægyptii eas olim, quasi sacras venerati sint. Sed quæ causa est, cur illæ solæ ad hospitandum super domiciliis nostris quasi superiores nostri a Deo destinatæ sint. Mihi sane hæc occurrit, quod illorum œconomiam Deus in doctrinam et destructionem patrum et matrum familias, quorum tecta incolunt, proponere ante oculos voluerit, ut vel a brutis animantibus e superiore loco quasi a cathedra concionantibus discant regere domesticos, familiam gubernare et disciplinam conser-

vare. Nihil enim frustra Deus in hoc mundo statuit; præsertim si consideremus quod magna cornicum quasi satellitum stipatæ caterva contra prædaces aquilas ad nos adducantur et reuducantur, ut vulgo creditur. Ac nisi fallor, insinuat nobis, ex Psalmo CIII. ubi legimus: *Herodii domus dux est eorum.* Herodium vero ciconiam esse ostendit vocabulum ejus Hebraicum *chesida*, deductum a *chesed*, quod pietatem significat, ciconiis quasi propriam, ut alia argumenta, quibus id probat Cornel. a Lapid. Lev. XI. vers. XIX. præteream. Quorum vero ducem voluit esse Deus? Num passerum dumtaxat, da quibus præloquitur Psalmus: *Illic passeris nidificabunt?* Non arbitrator, tametsi illi sub nidis ciconiarum habitare solent. Itaque hominum duces natura esse voluit, et præcipue illorum in quorum ædibus nidulantur, et habitant; ut sua œconomia instruant conjugatos, qualem ipsi instruere debeant. Has ergo in exemplar proponam vobis conjugibus et novis et antiquis.

I. Mas semper et femella conjugio quasi contracto simul in uno cohabitant nido, summa pace et concordia nec unquam visæ sunt contendisse inter se. Qua de re antiquis concordia symbolum erant, eo vel maxime, quia Romæ in templo concordia nidum suum posuerant, ut refert auctor antiq. Rom. lib. III. Constat etiam, cum in augusto migrare alio constituunt, congregari ad certum diem omnes, quotquot in vicinia sunt et simul avolare; quo nimirum tutiores a prædacionibus sint avibus. Habent hic, quod discant conjuges, et imprimis a gentilibus, qui concordiam faciebant deam, eique templum posuerunt, ad quod vota facerent pro conciliandis conjugum animis: deinde a ciconiis, quæ supra ædem illam sibi nidum construxerunt, velut duces et præcones concordia, cujus beneficii se defendant contra hostes suos. Quod etiam experientur conjuges, si fuerint unanimes, uti scribit S. Hieronym. lib. I. in cap. III. Amos: « Cum duo redacti fuerint in unum, inquit, adhærebunt Domino, ut fiet unus spiritus. Isti duo, qui sibi consentiunt et in via Christi pariter ambulabunt, nullius adversariorum possunt impetum pertimescere. Quod si discordia separentur, statim eos leo rugiens invadit; de quo subdit: (Amos scil. cap. III.) Numquid rugit leo in saltu, nisi habuerit prædam, et non solum leonum patebunt morsibus, qui sunt divisi, sed et dabit catulus leonis vocem de cubili suo. » Dixit Amos eo loco: *Numquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis?* Quod sane in conjuges quadrat. Quomodo enim toto conjugii tempore simul progredientur et convivent, nisi bene inter se con-

veniant? Nonne incident in leonem et laqueos Satanæ? Si vero unanimes fuerint, per omnes hostium cuneos cum ciconiis salvi penetrabunt.

II. Magna solertia educant, alunt, instruunt, atque servant pullos suos. Imprimis enim escam allatam, uti ranas et serpentes laniant et dividunt eis, deinde ad volatum eos instruunt: provocando et tentando, an satis artem calleant: denique adeo diligunt ut incendio per locum grassante efferant, uti visum Delphis urbe Bataavorum cum urbs tota conflagrasset, conatam scilicet matrem pullos incendio eripere, tandem desperata re in nidum se præcipitem dedisse, pullisque toto corpore oblectis occubuisse, et cum illis perisæ, apud Aldion. l. X. ornith. Similiter cum Attila obsidione premeret Aquileiam ita ut jam clades, et exterminium civitati immineret, visæ sunt ciconiæ efferre inde pullos suos, velut præsentientes vastationem urbis, adeoque si hærent, pullorum quoque suorum, apud eundem. Fuit etiam ludio, qui cum cerneret se alendis liberis suis minime sufficere, sustulit eos in ciconiarum nidum, ab illis nimirum alendos, qui tam largum commeatum suis pullis quotidie offerrent, ut idem ibi refert. Discunt et hinc conjuges, quid debeant suis filiis: alimentum videlicet et instructionem, necnon defensionem contra insidiatores et seductores: discant eos e consortiis malorum, e libidinis incendiis mature eripere, a prava societate et malorum convictu abstrahere: memores doctrinæ, quam Psalm. CXXXVII. tradit: *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Ubi uxor viti, maritus autem oleæ comparatur; vitis autem sureulos suos abstrahit a brassica, raphanis et hujusmodi amarum plantulis velut sibi contrariis: olea autem ramusculos suos a quercu, cujus etiam societatem et quasi conspectum fugit, ita ut juxta confossa exarescat, testibus Pierio, Theophrasto, Plinio et ex his Mizaldo. Sic Abraham et Sara primo eduxerunt nepotem Loth de Ur, hoc est igne Chaldæorum, deinde separarunt suum Isaac a colludente pravo Ismaele. Isaac et Rebecca suum Jacobum ab insidiatore Esau, ablegatum in Mesopotamiam, Gen. XXVIII. Audiant parentes S. Chrysostomum, hom. IX. in l. ad Tim. « Magnum, inquit, habemus pretiosumque depositum, scilicet filios. Ingenti illos servemus cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat. Nulla nobis possessio, nullus fundus æque nobis gratus et charus esse debet; quippe hæc omnia filii quærentur. Si igitur major possessionum nobis est cura, quam eorum, quorum illa gratia comparantur, id profecto ab-

surdissimum et stolidissimum est. » Fuit etiam in Italia ciconia cum compare suo, quæ cum animadvertisset serpentem irrepsisse in nidum suum ac pullos devorasse, attulit sequenti anno peregrinam avem peracuto rostro, et nido suo præfecit veluti custodem ad servandos ab hoste pullos, successu plane felici. Nam illius avis vigilantia et pugacitate serpens confectus est; et pulli servati, referente Oppiano in Ixcuticis: præclaro parentum exemplo, ut et ipsi filiis provideant de idoneis pædagogis magistris.

III. Partuntur inter se opera sua, ita dum femella nido incubat, mas foris pabulum quærat et inferat familiæ suæ, uti oculis nostris cernimus. Pari lege conjuges sua dividant opera, ut quidem paterfamilias foris cibum quærat; mater vero domi fovendis alendisque liberis, ac rei domesticæ invigilet. Unde S. Chrys. hom. XXXIV. in l. ad Cor. ait: « Deus mulieri quidem domum, viro autem forum tradidit. Et viro quidem dedit, ut aleret, mulieri autem ut vestiret. Tela enim et colus sunt mulieris, ipse enim dedit mulieri texendi artem et industriam. » Rursum ita inter se conveniant, ut dum unus interquiescit, alter laboret. Sic utuntur prælongis dentibus suis elephantibus: per vices enim alteri præeunt, dum altero terram fodiunt et radices eruunt ne ambo simul atterantur, teste Pierio, in hier. barb. Anglico, lib. XVIII. cap. XLIII. Dividunt et pullos ciconiæ cum hospite suo, in cujus domo nidulantur, uti fert communis opinio et testatur auctor de natura rerum. Unum enim saltem quotannis dejiciunt e nido quasi in decimam. *In cujus signum,* ait auctor, *Thuringiam, ubi decimæ non dantur, neque intrant, neque inhabitant, ut experientia docet.* Habent et in hoc parentes, quod imitentur: filios scilicet suos, ad statum religiosum a Deo vocatos, prompto animo concedant, imo ultro offerant cum omnia ei debeant. Cogitent Annam illam Eleanæ uxorem, quæ postquam filium Samuelem Deo, ad serviendum tabernaculo ejus vovisset, pro eo quinque proles accepit, cum prius esset sterilis, I. Reg. II. Experientia etiam didici parentes illos, qui filios ad militandum in religione Deo obtulerunt, sanctitatem aliquam spirare, magisque pietati addictos esse; remunerante Deo munus, quod ipsi obtulerunt.

IV. Mutuam quoque fidem servant, et transgressores morte plectunt, quod non semel observatum scribit Aldrovand. loco cit. adulteras videlicet in conventu publico prius strepitibus objurgatas, postea dilaniatas esse. Exemplum prodit Michael Neander, in sua physica ex Aventino, de ciconia femella, quæ compare neglecto alteri se miseuerat, idque non semel: verum